

HIRSCH, ANTON B.  
GASSER, JOHANN LORENZ  
[WIDMUNGSEMPFÄNGER]

**Paris Quinti Nervorum  
Encephali Disquisitio  
Anatomica In Quantum Ad  
Ganglion Sibi Proprium,  
Semilunare, Et Ad Originem  
Nervi Intercostalis Pertinet**

Kaliwodiana  
Wien  
1765

# books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

## What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

## How to order an EOD eBook?



Wherever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need.

A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

## How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

# Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

## Print

Print out the whole book or only some pages.

## Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.


## Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

# Advanced EOD eBook - How to use

## Search & Find

Print out the whole book or only some pages.



With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. "Habsburg" is being searched for in this example. The finding is highlighted.

## Copy & Paste Text



Click on the “Select Tool” in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

## Copy & Paste Images



If you want to copy and paste an image, use the “Snapshot Tool” from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

# Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.

Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html>

Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html>

# More eBooks

More eBooks are available at <http://books2ebooks.eu>



1  
219027A





PARIS QUINTI  
NERVORUM ENCEPHALI  
DISQUISITIO ANATOMICA  
IN QUANTUM AD GANGLION SIBI PROPRIUM,  
SEMILUNARE, ET AD ORIGINEM NERVI  
INTERCOSTALIS PERTINET,  
QUAM  
AUTHORITATE, ET CONSENSU  
ILLUSTRISSIMORUM, MAGNIFICORUM,  
SPECTABILIUM, AC CLARISSIMORUM VIRORUM,  
PERILLUSTRIS, AC MAGNIFICI DOMINI  
UNIVERSITATIS RECTORIS,  
REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, AC AMPLISSIMI  
DOMINI CANCELLARII,  
ILLUSTRISSIMI, MAGNIFICI, AC CLARISSIMI  
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ  
DOMINI PRÆSIDIS,  
PERILLUSTRIS, AC MAGNIFICI  
DOMINI VICE-PRÆSIDIS,  
PERILLUSTRIS, AC SPECTABILIS  
DOMINI DECANI,  
DD. SACRÆ, CÆSAREO-REGIÆ, APOSTOLICÆ  
MAJESTATIS CONSILIARIORUM, AC ARCHIATRORUM,  
NEC NON  
CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,  
VENERABILIS DOMINI SENIORIS, ATQUE TOTIUS AMPLISSIMI  
DD. MEDICORUM COLLEGII,  
PRO GRADU DOCTORATUS, AC PRIVILEGIIS  
CONSEQUENDIS  
DISQUISITIONI COMMITTIT  
ANTONIUS BALTHASAR RAYMUNDUS HIRSCH,  
AUSTRIACUS VIENNENSIS.  
DISPUTABITUR IN PALATIO UNIVERSITATIS  
TEMPORE CONSUETO.  
DIE 7. JULII M. DCC. LXV.

I

219027

(1 Taf)

Plus apud me antiquorum auctoritas valet, qui mortuis  
tam religiosa jura tribuerunt - - qui in hac terra fue-  
runt. Instituti, & præceptis suis erudierunt. Ci-  
ceronis *Lælius*, sive *Liber de Amicitia* edition. *Amstelod.*  
1688. pag. 466. Num. 4.



Mihi quidem - - quanquam est subito ereptus, vivit  
tamen, semperque vivet, virtutem enim amavi illius  
Viri, quæ extincta non est. *Ibid.* pag. 539. Num. 27.





PIIS MANIBUS  
CLARISSIMI DOMINI  
JOANNIS LAURENTII GASSER,  
SACRÆ CÆSAREO-REGIÆ,  
APOSTOLICÆ MAJESTATIS  
REGIMINIS INFERIORIS AUSTRIÆ A CONSILIIS,  
MEDICINÆ DOCTORIS,

NEC NON

IN HAC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VIENNENSI  
ANATOMIÆ PROFESSORIS  
PUBLICI, ET ORDINARIJ,  
QUEM

CARINTHIA GENUIT,  
VIENNA SCIENTIIS, ET HONORIBUS AUXIT,  
QUI

NON PRIDEM PROPECTUS IN PATRIAM SUAM  
TERRESTREM,

REDUX NUPER MIGRAVIT IN COELESTEM.

HEU FATA PRÆMATURA!

LUCTUS BONORUM OMNIUM!

DOLEBAT

VIDUATA FACULTATIS MEDICÆ CATHEDRA,

DOLEBAT

ORBIS LITERATUS INGENTES SPES

SUAS

PRÆTER EXPECTATIONEM CORRUISSE.

LUGEBANT  
DISCIPULI MAGISTRUM,  
CUJUS

VERA PIETAS, DILIGENTIA, AMOR,  
COMITAS, DEXTERITAS,  
FACUNDIA, INGENII VIS,  
ET DOCENDI FACULTAS  
VOTA CUNCTORUM  
QUAM LONGISSIME SUPERAVIT.

SQUALET

DESOLATA FAMILIA,  
UXOR INTEGERRIMA, PRUDENTISSIMA, PISSIMA,  
FILIORUM TENELLUS, ET SUAVISSIMUS  
TERNARIUS,  
COGNATORUM, ET AMICORUM PRÆCLARUS  
NUMERUS,

SQUALEO, ET EGO

EXSICCATO UBERRIMO FONTE,  
EX QUO

QUAESCUNQUE, SALTEM RIVULI  
ANATOMICÆ SCIENTIÆ  
SINGULARI PROPEMODUM BENEFICIO  
IN ME DIMANARUNT;

ATQUE

CEU GRATI ANIMI TESTIMONIUM  
LEVIDENSES HASCE PAGELLAS,  
ET

PERENNES AD DEUM PRECES  
DICO, DEDICOQUE.



AD  
LECTOREM BENEVOLUM.

**E**X quo tempore me ad Medicum Studium applicui, illud potissimum placuit, quod tanquam basis cæteris inserviret, structuræ nempe corporis humani accuratior cognitio, quam indefessa cadaverum dissectio producit.

Utilitas elucet in Physiologia ad functiones corporis humani rite enodandas, in Pathologia ad eruendas abstrusas morborum causas, in Semeiologia ad prædicendos certius morborum eventus. Quot ex ignorantia hujus Divinæ Scientiæ propullularunt hypothesium theoreticarum monstra? quæ luxurians intellectus, non natura peperit. Nil dicam de Cheirurgia, & obstetricatione, cum res ipsa loquatur.

His argumentis mira accessit felicitas, quod in hac Medicinæ parte Præceptorem nactus sim, cujus dissectandi dexteritatem nostra mirabatur ætas, CLARISSIMUM GASSERUM, hujus venerando ab ore in publicis æque, ac specialiter in privatis dissectionibus ultra quatuor annos pependi, gratia, quoad primum condiscipulis omnibus communis, sed quoad secundum mihi unice reservata.

Non mirum itaque, dum de consificienda Inaugurali Disputatione deliberarem, quod Anatomicam delegerim materiam.

Sed in vanum me laborare facile credideris: quippe exhauserunt Osteologiam Douglas, Cheselden: Myologiam Santorinus, utranque Albinus: Splanchnologiam Malpigijs, Ruy-schius: Angiologiam vasorum rubrorum Hallerus, alborum Rudbeckius, Bartholinus, Afelius, Pequetus: Adenologiam Warthonus:

*Nevrologiam Vieussenius: omnia simul Heisterus in compendio, Winslowus in expositionibus, Morgagni in animadversionibus.*

*Messis hæc multo copiosissima jam collecta est, supersunt tamen quædam stipulæ, quas colligere rursus aliqui tentarunt, aut saltem tempus futurum colliget.*

*Nervorum profecto, quanto excellentior usus, tanto abstrusior doctrina est; quid post Magnum Hallerum, & Meckelium præstitisset Præceptor meus Clarissimus, si Deus vitam prolongasset, ut scriptis suis limam ultimam admovere licuisset, vel exinde elucet, quod nil magis mihi suaserit, quam hanc spartam ad sui imitationem prosequi.*

*Ne igitur Viri Optimi labores cimneriis tenebris sepeliantur, statui ex iis saltem aliquid, quod vidi, audivi, legi palam facere, id pertinet ad encephali nervorum quinti paris exortum, ad ejus ganglion, ad rami secundi nervulum Vidianum, & ad inde deductam originem intercostalis nervi, additis sententiis controversis, & dubitandi rationibus.*


*Sequutus fere sum in hac materia antesignanum diligentissimum, sincerissimum Dominum Joannem Fridericum Meckel (a), quoniam huic doctissimo Viro Præceptor meus plurimum tribuit, & ejus quasi vestigiis inhæsit, quod gratus hic palam confiteri volui.*

*Parce, Lector Benovole! si quid expectatione tua minus dignum fecero, novi ipse imbecillitatem meam: amor erga Magistrum id extorsit: Ipsius argumentandi, & eloquendi vim desideras? ego assequi me non posse doleo, sed tu benigne supple, & vale.*

CA-

(a) Tractatu de quinto pare nervorum cerebri. Göttingæ 1748. in quarto.





CAPUT PRIMUM.  
DE NOMINIBUS,  
ET  
FATIS NERVI QUINTI PARIS.

§. I.

**N**ervorum paria Galenus (b) conjugationes, Alexander Benedictus (c) Syzygias vocat, has solo numero distinxerunt primi Anatomiae Patres; & quod nos quintum par appellamus, antiquis non unum erat par, sed plura.

(b) De usu partium L. 9. (c) De Hist. corp. hum. Parisiis 1514. apud Henricum Stephanum in quarto.

§. II.

Galenus ex quinto Modernorum pari duas conjugationes facit, quas tertiam, & quartam nominat, Ad tertiam refert:

Ex



- Ex ramo primo, ---- frontalem, & ramos nasales (d).  
 Ex ramo secundo - - infraorbitalem (e), dentalem (f).  
 Ex ramo tertio - - lingualem, & maxillarem inferiorem (g).  
                                     Buccinatorem (h).  
                                     Labiales inferiores (i).

Ad quartam vero conjugationem refert:

Ex secundo ramo - - - Nervum palatinum (k).

Sed quis non videt, quanta sit rerum confusio, cum discerpit, quod natura conjunxit.

(d) Galenus apud Charterium Tom. 4. de usu partium C. 15. 16. (e) Ibid. C. 8. 14. in fine. (f) C. 15. (g) C. 8. 14. 15. (h) C. 13. (i) C. 14. (k) C. 9.

### §. III.

Turba sequax Galeni non modo non melius de quinto pari sensit, sed unum illum nervum in plura adhuc paria dissecut: Nicolaus Massa (1) exinde suum quartum, quintum, sextum, & septimum par, saltem partialiter fabricasse videtur.


(1) Lib. Introduct. Anat. Venetiis 1559. in 4. apud Jord. Ziletum.

### §. IV.

In tanta confusione & altercatione Authorum, cum non sciretur, ad quale par rami ejus rite referri debeant, prudentiores nervum nostrum par innominatum appellare maluerunt, donec tandem Fallopius (m) ad unicum par feliciter reduxerit, & pro more sui sæculi, nomine tertii paris insigniverit.

(m) In ejus operibus Venetiis 1584. in fol. apud Felicem Valgrifium Tom. I in observ. Anat.





## §. V.

Fallopium inventum confirmat Eustachius in suis tabulis (n). Willifius vero (o) primus erat, qui nostrum nervum nomine quinti paris bene insignivit: Vieuffenius (p) melius, & fufius descripsit.

(n) Edit. Albin Tab. 18. fig. 2. lit. VV. & W. X. Y. (o) Operum omnium Venetiis 1720. T. 1. p. 163. C. 22. (p) Apud Mangeti in Bibl. Anat. T. 2. p. 4. p. 632. Cap. 3.

## §. VI.

Winslowus fere (q) Vieuffenium fequitur, sed in hoc laudem meretur, quod ei nomen adposuerit a principalioribus suis tribus ramis, & propterea Trigeminum vocavit.

(q) Expos. Anatomique a Paris. 1732. Tom. 3. Traite du nerfs.

## §. VII.

Alii cum Clarissimo Heistero (r) nostrum nervum appellant gustatorium: sed quia organum primarium gustus lingua est: hæc vero proprium nervum noni paris Hypoglossum externum, seu magnum Winslowi (s) & insuper ramum octavi paris (t) possidet, licet etiam a ramo tertio nostri nervi, sobolem lingualem participet: attamen ob multo majorem quantitatem ramorum, quos nervus noster aliis partibus, & usibus dispensat, nomen illud minus toti nervo convenire putamus.

(r) Compend. Anat. Tom. 1. Norimberg. 1741. pag. 162. n. 299. (s) Expos. Anatomique Tom. 3. pag. 248. n. 148. (t) Winslow ibid. pag. 250. n. 151.



# CAPUT SECUNDUM.

DE

## ORTU, ET PROGRESSU NERVI QUINTI PARIS, USQUE AD CAVEAM DURÆ MATRIS.

### §. VIII.

**D**iscrepantes inter Authores, sententias genuit triplex nascentis hujus nervi conditio: alii originem putant, ubi nervus iste in teretem formatur funiculum; alii ubi fasciculi, alii unde fibrillæ, ex quibus fasciculi componuntur, prodeunt. Quare etiam facile inter se conciliari possunt.

### §. IX.

Inter primos Winslowus (u) est, qui non dubitat, quin noster nervus ex medullæ oblongatæ protuberantia transversali (annulari Willisii, ponte Varoli) circa ejus anteriorem, & lateralem partem oriatur: atque hac ratione determinat locum, a quo funiculus nerveus teres esse incipit.

(u) L. c. p. 212. n. 28.

### §. X.

Dein is ipse Winslowus senior factus alibi (w) docet, illum nervum oriri ex parte posteriori, & laterali protuberantiæ transversalis, & modice ex corporibus olivaribus, & pyramidalibus, sine dubio, de fasciculis loquitur, qui dein ad funiculum abeunt.

(w) Tom. 4. Part. 2. pag. 428. n. 140.

### §. XI.





## §. XI.

Tales fasciculos alii pauciores, alii plures diversæ magnitudinis, & consistentiæ observant: Santorinus (x) tres describit, quos non ex uno prodire hiatu certo apprehendit: observat simul inter illos fasciculos tertium multo molliorem esse, quam substantiæ annularis corticem: similia etiam apud Bidloun (y) reperire est.

(x) Observ. Ant. Venetiis 1724. C. 3. §. 16. pag. 65. (y) Anat. corpus. hum. Tab. 9. fol. 2.

## §. XII.

Contra oculatissimus Meckel (z) ulterius observationes profectus est, & ex pedunculorum cerebelli laterali exteriori parte, in plusquam viginti cadaveribus quintum par exoriri vidit, cum quo non solum Illustris Hallerus (a), sed etiam Augustinus Scharschmied (b) recte sentiunt, dum de fibrillarum prima origine intelliguntur.

(z) Tract. de quinto pare. C. 2. §. 31. (a) In primis lineis Physio. Göttingæ 1747. p. 187. §. 371. (b) Neurologische Tabellen Frankfurt und Leipzig 1759. p. 13. Tab. 4.

## §. XIII.

Hiscæ in initiis neque fibrillæ medullares, neque fasciculi ullum glomeramen conficiunt, ut recte animadvertit contra Mangeti Morgagnus (c): sed solum, per iter, sibi mutuo approximantur, pia matre involvuntur, fit funiculus teres, duas fere lineas latus, arte in septuaginta, nonaginta, ad centum usque filamenta facile separabilis.

(c) Advers. Anat. in folio Venetiis 1762. lib. 6. obs. 21. pag. 205.



## §. XIV.

Latet sub arachnoidea tunica, hoc in loco valde conspicua, a cerebelli lobis lateralibus antrosum super ipsum expansa.

## §. XV.

Fertur directe, Winslowus (d) vult oblique, sub superiori, & anteriori apophysi petrosa, quasi ad latus sellæ sphenoidalis (turcicæ) versus angulum ossis petrosi superiorem : interea inferioribus funiculi fibris in itineris fine non nihil abscedentibus, ut nervus major appareat.

(d) Ibid. Tom. 4. Part. 2. pag. 429. n. 140.

## §. XVI.

Hoc in termino Winslowus (e) putavit, quod nervus noster & duram matrem perforet, & sese finui cavernoso laterali immergat, quoad primam partem, ne quis termino *perforet* offendatur, Clarissimus Vir non loquitur cum mechanicis, apud quos perforans perforato durius est : sed cum Anatomicis, sicut ureteres vesicam, ductus communis duodenum perforare, seu ingredi dicuntur ; taliter ingreditur nervus noster foramen proprium, ovale, quatuor in adultis lineas latum, sub sinu petroso superiori, ubi hic finui cavernoso est proximus.

(e) Ibid. Tom. 3. pag. 213. n. 28.

## §. XVII.

Negatur tamen secunda pars, videlicet, quod nervus noster finui cavernoso sese unquam immergat ; Author tamen præstantissimus facile omnium meretur veniam, quod cavea, de qua mox  
age-



agemus, primum posterioribus ab editione suorum librorum temporibus orbi literato melius innotuerit: dico melius, quoniam jam Vieuffenius (f) ejusdem aliquam habuit notitiam, atque fovealam, & sacculum vocitat.

(f) Apud Mangeti Bibl. Anat. Tom. 2. part. 4. pag. 633.

### §. XVIII.

Ut ergo caveam plenius comprehendamus, sciendum, quod ab exortu foraminis §. 16. trans angulum ossis petrosi §. 15. binæ duræ matris lamellæ ab invicem secedant: interior earum format sacculum a sinu cavernoso ad foraminis ovalis, ossis sphenoidi exteriorem finem protensum, quem caveam antecessoribus appellare placuit.

### §. XIX.

Hanc ipsam caveam a sinu cavernoso separat septum speciale, a natura, non ab arte factum, ex ipsissima illa lamella interiori, duræ matris oriundum, quod posterius extimæ interiori parti, hedræ superiori, ossis petrosi adhæret: hoc septum adeo impervium est, ut, quamvis cera in sinum cavernosum injiciatur, nil tamen penetret in caveam.

### §. XX.

Cavea, & septum, uti omnes aliæ corporis humani partes, ita & hæc sua habent vasâ sanguiflua. Ad nostrum scopum cum primis arteriarum cognitio inservit, quas etsi varias a cervicali, meningea, & maxillari interna sortiuntur, illæ tamen majorem considerationem merentur, quæ a carotidis cerebialis trunco intra sinum cavernosum oriuntur, septum intrant, in caveam, ejusque



contenta disseminantur (g); tum illæ etiam, quæ supra sextum par abeunt, & ramo primo, secundo & tertio nostri nervi prospiciunt (h).

(g) Meckel *ibid.* p. 23. §. 35. (h) Hall. Fasc. I. Icon. Anat. Tab. 6. lit. e e not. 24. & *Dissert. Anat.* Tom. 2. p. 948. §. 12. ex Walthero.

## CAPUT TERTIUM.

DE

### NERVO QUINTI PARIS IN SUA CAVEA.

#### §. XXI.

**S**tatim ac nervus noster in caveam penetrat, insignes patitur mutationes, alias externas, internas alias: ad externas pertinet nervi volumen, adhæsiō, involucra, progressus, & ramificationes: ad internas pertinet nova structura, exinde enata figura, & massa. De illis primum agemus, cum primo in sensus incidant, has vero in sequens caput reservamus.

#### §. XXII.

Volumen nervi nostri ad ingressum in caveam exiguum est, §. 13. 14. in cavea vero sensim adeo increfcit, ut fere totam repleat, & sæpius decem lineas in adulto homine adæquet, atque hinc non ineptam conjecturam suppeditat, quod quidquam insoliti ibi nervo accidisse debeat.

#### §. XXIII.



### §. XXIII.

Adhæret cavææ septo §. 19. in suprema, & media parte per ramum suum primum, §. 28. adhæret etiam per vasa §. 20. & per involucria universæ cavææ.

### §. XXIV.

Nervus, qui hætenus sola pia matre obvolutus §. 13. sub arachnoidea aliquamdiu latuit, nunc novum a dura matre suscipit involucrum, ita tamen, ut inter ejusdem lamellam internam, & nervum ab initio sui introitus spatium quoddam intercedat: sed ubi nervus latior fit, tam firmiter hæc lamina ei adhæret, ut absque fibrillarum nervarum læsione vix separari queat: econtra minus fortiter adnectitur duræ matris externæ lamellæ per cellulosaam intermediam.

### §. XXV.

Taliter investitus, & per suum receptaculum late expansus nervus noster descendit in plano valde antrorsum inclinato, supra latus (hedram anteriorem) ossis petrosi, & fibrillas suas in diversas ramificationes colligit.

### §. XXVI.

Ex ramificationibus intra cavæam aliæ sunt majorum ramorum, & revera existunt; aliæ minimorum prorsus imaginariæ, vel saltem non bene descriptæ.

### §. XXVII.

Ramos, qui ad primam classem pertinent, non omnes Auctores eodem numero comprehendunt, nos cum Winslowo in



tres dividimus : in primum, secundum, & tertium. Tertius cum secundo constituit angulum obtusum : secundus cum primo valde acutum : atque hæc causa forte est, cur Willisus & Vieussenius a nobis dissentiant : non enim hanc divisionem ad tam acutum angulum in cavea observarunt, & ramum primum a secundo non distinxerunt : quod nos claritatis causa facimus.

### §. XXVIII.

Ramus primus, Winslowo (i) orbitarius, Willisio (k) suæ secundæ divisionis ophthalmicus, Vieussenio (l) minor superior, duas plerumque lineas latus, & cæteris suis fociis gracilior.

(i) Tom. 3. Trait. du nerfs p. 215. n. 34. (k) Operum omnium Venetiis 1720. Tom. 1. p. 164. (l) Apud Mangeti Bibl. Anat. Tom. 2. p. 633. columna ima.

### §. XXIX.

Ramus secundus, Winslowo (m) maxillaris superior, Willisio (n) major secundæ divisionis, Vieussenii (o) minor inferior anterioris rami : est teres fasciculus fibrarum nervearum, tres lineas latus, major primo ramo, minor tertio, inter utrumque medius.

(m) Ibid. p. 219. n. 44. (n) Ibid. colum. 2. (o) Ibid. pag 634. colum. 1.

### §. XXX.

Ramus tertius, Winslowi (p) maxillaris inferior, Willisii (q) primus ramus quinti paris, Vieussenii (r) ramus major posterior, Vesalii (s) crassior radix tertii paris, Meckelii (t) ramus gustatorius, est ramus exterior inferior, robustissimus, & tres cum dimidia linea in sua latitudine comprehendit.

(p)



(p) Ibid. p. 222. n. 55. (q) Ibid. p. 164. col. 1. (r) Ibid. 634. col. 1. (s) L. 4. c. 6. p. 519. 511. & 513. depicta figura 2. lit. M. edit. Basil. per Oporinum 1555. (t) Ibid. p. 78. §. 84. ad finem.

### §. XXXI.

Omnes hactenus enumerati tres rami in ipsa adhuc cavea quandoque mutuis anastomosis inter se confluunt, ita ut primus cum tertio, & tertius cum secundo magnis fasciculis communicasse, & rete aliquod quodammodo formasse observaverit Meckelius (u): verum hæc rariora sunt, & simplex ramorum decursus sæpius reperitur.

(u) L. C. §. 37. p. 29.

### §. XXXII.

Altera ramificationum classis, quas imaginarias appellamus, five tales, quas vel humanus error, vel præconcepta opinio genuit, non vero unquam qua tales existunt. Huc referimus ramulos illos duos, quos ex primo quinti in cavea ramo una cum sexti furculo ad radicem intercostalis constituendam supponit, & delineat Peritus (w), Vieussenius (x) Willisius (y) a Bergen (z): enim vero, quia ab aliis clarissimis viris frustra quæsitum sunt, vereor, ne ab arteriis (20), quæ ante Hallerum erant incognitæ, fuerint decepti: inanes sunt post mortem arteriæ, & albicant æque, ac nervi: Willisii descriptio profecto nostram confirmat sententiam, qui ab hoc quinti paris ramo propagines ad rete mirabile, & ad carotidis truncum e regione glandulæ pituitariæ emitti putat: sed injectio cum cera docuit nil nisi arteriolas esse.

(w) Memoir del Acad. Royal des Sciences 1727. (x) Apud Mangeti Bibl. Anat. Tom. 2. p. 633. col. 1. & p. 635. in Tabula. (y) L. c. p. 164. col. 1. & p. 166. lit. bb. (z) Apud Haller Disp. Anat. vol. 2. p. 875. §. 4. & p. 908. in tabula.



## §. XXXIII.

Alii (a) adhuc magis, quam Petitus sapere voluerunt, & ex eodem primo quinti ramo, septo intra caveam adjacentem filamentorum farraginem commenti sunt, quam in sinu cavernoso ad arteriam carotidem cerebralem, & nervum intercostalem abire somniant: sed contra illos pugnat illud ipsum argumentum, quod ab Hallerianis arteriis mutuavimus, deinde etiam, quod fibræ cellulosæ, quæ cavernulas sinus sepiunt, incautis imponere valent.

(a) Inter quos est Clarissimus D. J. C. Ott. in Dissert. de inflamm. intest. citatus a Meckelio.

## §. XXXIV.

Ad classẽ ramulorum dubiorum, nec satis firmiter descriptorum pertinet ramulus, quem Winslowus (b) docet, & Vieussenius (c) pingit ad ingressum in caveam a nervo quinti paris oriri, & per duram matrem protendi. Nos fatemur, quod subinde aliquæ fibrillæ nervi hujus duræ matris lamellas subeant, sed quæ iterum in truncum revertantur, quin in dura matre pergant, aut finiantur, præter has vero nullas observare potuimus (d).

(b) Tom. 3. Traite de nerfs. n. 28. p. 213. (c) L. c. Tab. 22. Lit. a.  
(d) Hallerus æque non potuit observare in notis ad Boerh. Inst. Vol. 2. p. 56. Nota 2.

## CAPUT QUARTUM.

DE

GANGLIO SEMILUNARI NERVI  
QUINTI PARIS IN CAVEA.

## §. XXXV.

**V**idimus hæctenus exteriores nervi quinti paris in cavea mutationes: nunc illas consideramus, quas ejus structura eo ipso in



in loco subit. Fibrae, quae ab origine nervi laxius inter se cohaerebant, adeo, ut juxta longitudinem leviori manu ab invicem separari possent, §. 13. nunc huic separationi resistunt, sibi invicem interferuntur, iterumque in alias minores subdividuntur, implicantur.

### §. XXXVI.

Numerantur diversa, quamvis pauca fibrarum strata, color interiorum fibrarum rubrior, ab exteriori multum discrepat; magnitudo, figura nervi immutantur; quare Anatomici, naturae Mysticae, in diversas abrepti sunt opiniones.

### §. XXXVII.

Quia nervus noster in cavea in latum expanditur, & ab ejus involucris albicat, Meckelius (e) cum verme lato comparavit, & ad imitationem magni sui Magistri (f) Taniam optimo jure appellavit, si ab externa ejus forma tantummodo desumenda esset denominatio.

(e) L. c. p. 21. §. 33. (f) In not. ad Boerh. Inst. Vol. 2. p. 302. ad §. 280. not. 1.

### §. XXXVIII.

Contra Vieuffenius (g), dum cerneret nervum nostrum subito, ac in caveam ingressus est; majus volumen formare, ad compressionem, duriusculorum more corporum resistere, quin altius in interiorum ejus fabricam indagasset, statuit, quidquam gangliiforme latere: sed postquam illud gangliiforme plexum nominavit, forte a vicinis anastomosibus trium ramorum, §. 31. quandoque observatis deceptus est: plexus enim, quos Anato-



mici passim vocant, laxioris multo sunt formæ, quam status nervi nostri in cavea præsefert.

(g) L. C. Tom. 2. part. 4. p. 632. & 633.

§. XXXIX.

Has difficultates clarissimus a Bergen (h) fors penitus inspexit, ut evitaret, mavult gangliiformem molem dicere, verum etiam hic terminus nil determinat, quia generalis nimium est: nam moles cuique parti competit.

(h) In Disp. Anat. Hall. Tom. 2. p. 876. §. 5.

§. XXXX.

Hæc Auctorum celeberrimorum disceptatio ansam dedit accuratissimo Præceptoris meo, ut tanto diligentius, hic loci, in nervum nostrum inquireret, atque ut clarissime sub oculos pateat, en! sequenti usus est methodo.

§. XXXXI.

Abscissa calvaria, & exempto cerebro, mox in origine nervus quinti paris abscindatur, dein capsula ipsa a secedente dura matre facta longitudinaliter, parte postica antrorsum, sat profunde findatur, scalpelli apicem semper sursum dirigendo, ne corpus subiectum, quod invenire oportet, ullo modo lædatur.

§. XXXXII.

Extrema discissa forcipe parva arripiantur, cellulosaque inter duræ matris laminas præsens separetur, directo semper scalpelli apice versus internam supernæ laminæ duræ matris superficiem.



§. XXXXIII.

Eodem modo capsula hæc ex transverso in utraque parte findatur, labiaque reflectantur, ut tota hujus inclusi corporis superficies superior elucescat.

§. XXXXIV.

Tunc in lucem prodit ganglion ex transverso situm, figuram semilunæ, seu falcis præferens, cujus concavitas originem, convexitas frontis partem interiorem respicit, longitudo ejus sex circiter lineas adæquat, latitudo duas, prout omnia in figura, quæ ad calcem adnectitur, videri poterunt.

§. XXXXV.

Color est rubellus, carneus, albo mixtus: talem colorem jam agnovit (i) Vieussenius, dum nerveas fibras adesse statuit, quæ maximam partem carnosas referunt; licet in dubium postea vocaverit magnus Morgagnus (k): rubellas etiam fibrillas agnovit Meckelius (l), & cellulosæ durioris speciem habere dixit.

(i) L. C. Tom. 2. p. 633. col. 1. (k) In adversariis Anat. L. 6. animad. 21. p. 206. in fol. (l) L. C. p. 21. §. 33.

§. XXXXVI.

Tali modo constitutum nervum nostrum in cavea sua, ab eo tempore, quo descripta methodo usi sumus, semper reperimus, etiam in ipsis neonatis.

§. XXXXVII.

An vero ganglion appellari mereatur? ita certo cum Winslowo (m) credimus: illos enim tumores nerveos solemus dicere



ganglia, a quibus plures, & majores rami nervosi egrediuntur, quam ingrediuntur; prout exempla in gangliis nervi intercostalis docent. Deinde Fallopius (n) primus gangliorum naturaliter in corpore existentium assertor, ganglia, corpora olivaria appellat, non ob solam figuram, secus ganglion cervicale magnum non esset ganglion: neque ob colorem olivæ, nam ipse Author in gangliis colorem carneum, & substantiam nerveam postulat. Sed quod sicut oliva immatura duriori cortice includit nucleum, sic etiam ganglia sub solidiori, quandam molliorem substantiam: nostrum specialiter ganglion sub validis suis involucris fovet copiosas rubellas & nerveas fibras.

(m) Tom. 3. p. 213. n. 29. & Tom. 4. p. 2. p. 429. n. 141. (n) Apud Morgagni in *advers. Anat.* 5. in *dissert. Lancisi* p. 183. in fol.

### §. XXXXVIII.

Sed obstat de rebus Anatomicis meritissimus Lancisus (o), & requirit nervos plures concurrentes in ingressu ad formationem ganglii, qui in nostro desunt: unicus enim nervus funiculus §. 13. id efficit. Verum sapientissimus Vir ganglia nervi intercostalis tantummodo in exemplum vocat; an vero aliæ species gangliorum non existant? nullibi negavit; Winslowus loco mox citato speciem nostri ganglii complanatam, & irregularem vocat: anteriorem enim tantummodo respexit formam, uti Meckelius §. 37.

(o) Apud Morgagni *adv. Anat.* 5. in *dissert. de structura & usu gangliorum* p. 184. in folio.

### §. XXXXIX.

Dein idem Lancisus (p) ad ganglia requirit axim albam, a qua (uti in plantis a costa inter media pinnata folia) ad utrumque latus carneæ fibræ radiant: sed hoc artificium professoris est,



atque si a convexa usque ad concavam ganglii nostri partem strata fibrarum rubentium dividere, & invertere valeremus, figuram Lancisianam (q) imitaremur.

(p) Apud Morg. L. C. p. 185. col. i. (q) Ibid. ad finem differt. Tab. 2. fig. 3.

### §. L.

Urges, stamina rubicunda non pertinent ad nervum, sed ad cellulosam intermediam inter laminae duræ matris, propterea cellulosa solum durior, non ganglion dici meretur. Sed an non cellulosa, omnes fere membranas, vasa, fibras carneas perambulat, fors vix corporis pars est, quæ absque cellulosa grandescit, an propterea omne, quod tumet, nil nisi cellulosa durior dicitur: argumentum probat nimium: adeoque nihil; deinde sint inter duræ matris lamellas rubentia fibrarum strata: utique per fibrillas nervas §. 34. & vasa sanguifera (r) aliunde cum nervo quinto in cavea communicant, & ad illum pertinent.

(r) Meckelius L. C. §. 35. p. 23.


### §. LI.

Usum specialem huic ganglio assignat Vieuffenius (s) triplicem: primo quod molles §. 11. nervi fibras colligat, ne in mandibulæ inferioris motibus periculum ruptionis subeant; sed commentum est, seous Vidianus nervus §. 62. & 59. potius tali ganglio indigeret, est enim omnium mollissimus, & periculo propior.

(s) Apud Mangeti Bibl. Anat. Tom. 2. part. 4. p. 633.

### §. LII.

Alter usus probabilior esse videtur: quod consensum inter os, linguam, nares, oculos, aures gubernare, & affectuum ani-  
mi



mi indicia in faciei partibus depingere adjuvet : siquidem ramuli, qui istis partibus prospiciunt, mira fibrillarum communiōe in ganglio, quasi novum principium agnoscunt.

### §. LIII.

Ufus generalis gangliorum naturalium omnium encephalo fere videtur esse vicarius ; quippe ab encephalo nervi omnes, a gangliis majores, numerosioresque oriuntur : vasa encephali plura, quam moles ejus, comparata ad alias partes, exigit, similiter & gangliorum se vasa habent ; utrobique ergo communis est quaedam utilitas.

### §. LIV.

Modus tamen, quo actio gangliorum perficitur, multo diversior est ab actione cerebri ; hæc enim a structura musculari plurimum abhorret, & tantummodo per subtilissimos, mollissimosque mæandros perficitur. Gangliorum econtra actio teste Lancisio (t) rubellis fibrarum stratis, ceu totidem exiguis musculis multum adjuvatur.

(t) Apud Morgagni L. C. p. 187.

## CAPUT QUINTUM.

### HISTORIA ANATOMICA CIRCA NERVI INTERCOSTALIS ORIGINEM EX QUINTO PARI.

### §. LV.

Sunt maximi Anatomici (u), qui negant, quod intercostalis nervus unquam a quinto pari originem trahat : sunt & alii  
(w)



(w) magni nominis viri, qui eam originem acriter propugnant : sed sententiæ illorum pro numero ramorum sunt diversæ ; illos, qui a primo ramo deduxerunt, jam superius §. 32. discussimus, & quia par fatum etiam eos manet, qui originem a tertio ramo somniant, speciale horum criterium non adornabimus.

(u) Quos vide apud Hall. disp. Anat. vol. 2. p. 946. §. 8. (w) Ibid. §. 6.

### §. LVI.

Diligentissimus Meckelius (x) felicior fuit, & primus originem Intercostalis a secundo nervi quinti paris ramo, improbo labore, & solide demonstravit. Nos hunc fidum achatem sequimur, placet ab hoc ejus fonte ad ultimum limitem usque progredi, laterales tamen propagines non describere, sed indicare solum, ut ceu totidem principales stationes, in via, nobis inserviant.

(x) L. C. Sect. 4. p. 45.

### §. LVII.

Statim ac ramus secundus caveam deserit, foramen rotundum, (maxillare superius) ejusque canalem ingreditur, & sæpe in hoc canali adhuc delitescens dat ramulum, qui subcutaneus malæ dicitur.

### §. LVIII.

Ex canali egressum nervum Winslowus (y) in tres dividit, Infraorbitalem, Palatinum, & Sphæno-Palatinum : sed rectius in duos dividendus est, in Infraorbitalem (z), & descendentem. Divisio hæc contingit in suprema fossæ pterygo-palatinae parte (a), ante radicem planam apophyseos pterygoideæ (b).



- (y) L. C. p. 219. n. 46. (z) Meckelii explic. Fig. I. n. 61. 57. (a) Hoc nomine insignit idem Meckelius, intercapedinem inter radicem processuum pterygoideorum, alam externam, & antri Hygmoriani ossis maxillaris superioris parietem posteriorem p. 49. (b) Sic vocat idem Author L. C. p. 50. supremam partem processus ossis sphænoidei, qui alas pterygoideas educit, præcipue ejus partem planam anteriorem, quæ ossi palati, ac maxillari superiori opposita est.

### §. LIX.

Descendens ramus validus est, mollis, nulla dura matre propria cinctus, sed multa, mollique pinguedine comprehensus, communiter paulo post suum exortum dividitur in duos ramos, alterum Palatinum (c), qui major, & per fossam pterygo-palatinam descendit: alterum qui superior introrsum recurrit, & Winslowo Sphæno-Palatinus (d), Meckelio (e) Vidianus, aliis Pterygoideus recurrens, & nasalis, sed male audit; hæc divisio fit inter processum orbitalem ossis palati, & superficiem anteriorem planam apophyseos pterygoideæ ossis sphænoideis.

- (c) Winsl. L. C. n. 51. p. 221. (d) Ibid. n. 53. p. 221. (e) L. C. p. 50. §. 61.

### §. LX.

Vidianus retro arterias nasales introrsum versus canalem (f) Vidianum (pterygoideum) recurrit, ubi vero foramen sphæno-palatinum, dura matre clausum præterit, ramulos tres, quatuor, aut plures spargit: nasales superiores, & anteriores vocamus.

- (f) Hunc apertum canalem, resecta alaj externa vide apud Meck. Fig. I. Lit. P. 2.

### §. LXI.

Continuat Vidianus iter suum retrorsum, & per aperturam anteriorem (g) canalem (h) cognominem (pterygoideum) §.



60. ingreditur, progreditur, atque sub canali §. 57, rami secundi nostri paris in duos, tresve furculos ramificat, quos nasales superiores, posteriores nominare placuit.

(g) Hæc apertura patet in suprema superficie anterioris planæ apophyseos pterygoideæ. (h) Est pinguedine in initio repletus, & undique dura matre investitus.

### §. LXII.

Postquam hoc suo officio functus est Vidianus mollis, & medullaris nervus, per aperturam posteriorem (i) e canali suo egreditur, inter ossis petrosi partem interiorem, & inter ossis sphænoidei radicem, apophyseos temporalis, sub dura matre in cranium remeat, atque circa flexuram secundam carotidis cerebri in duos ramos definit: quorum alter minor, & superficialis post quasdam ambages in aquæ ductu Fallopii cum nervo duro septimi paris jun-  
gitur.

(i) Hæc apertura est ante canalem caroticum, dura matre in anteriori sua parte clausum.

### §. LXIII.

Alter major, & ultimus nervi Vidiani ramus profundus dicitur: permeat primum substantiam semicartilagineam, quæ inter processus pterygoidei radicem, & inter canalem caroticum interjacet: permeat etiam ipsius canalis carotici parietem (duram matrem) eo in loco, ubi carotis a prima ad secundam cerebralem flexuram abit.

### §. LXIV.

Tandem hic ipse profundus nervus decurrit in canali carotico supra arteriæ convexitatem anteriorem, obviat furculo pe-



regrino sibi æquali, sæpe minori, qui ex sinu cavernoso a sexto pari defluit, huic inseritur, & ab eo tempore fit unus nervulus, insigniter latus, comitatur deorsum arteriam per canalem, quem denuo perforat, & in ganglio cervicali primo nervi intercostalis absorbetur.

### §. LXV.

Talis decursus nervi profundi in canali carotico sæpissime conspicitur: sed tamen varietates occurrunt, quas Meckelius (k) optime descripsit, & figuris (1) expressit: in hoc tamen omnes varietates conveniunt, quod inosculatio duorum horum furculorum ad se invicem angulum internum acutum semper constituat.

(k) L. C. p. 56. 57. (1) Ibid. ad finem tractatus fig. 3. 4. 5. 6.

### §. LXVI.

Ab inosculatione igitur duorum nervulorum, protensus ad ganglion cervicale furculus §. 64. constituit originem intercostalis nervi, qui propterea duplici ex radice nascitur, nos vero, ne præsentis dissertationis limites excedamus, unam tantum attingimus.





# CAPUT SEXTUM.

CONTINET

## CONTROVERSIAS CIRCA ORIGINEM NERVI INTERCOSTALIS.

### §. LXVII.

**B**Inæ occurrunt inter Authores sententiæ, alii cum clarissimis Viris Petito (m), & a Bergen (n) intercostalem nervum non ab encephalo, sed a medulla spinali oriri contendunt, tot nimirum radicibus, quot sunt ramuli a nervis vertebralibus in ipsum reflexi, per quos fluidum nerveum ex artubus, abdomine, pectore, collo suscipi, & versus caput transmitti volunt.

(m) Memoir. del acad. de Scienc. 1727. (n) Apud Hall. disp. Anat. Vol. 2. p. 871. in dissert. Francof. ad Viadrum habita. 1731.

### §. LXVIII.

Alii contra gravissimi Viri originem intercostalis a capite derivare non dubitant: hoc solum cum discrimine, quod plurimi, qui ante inventionem Vidiani profundi scripserunt, a solo sexti paris furculo; at illi, qui jam hoc inventum noverunt, cum primis Præceptor meus, & a sexto, & a Vidiano simul.

### §. LXIX.

Utraque pars suis pugnat rationibus: Patroni primæ partis §. 67. considerant nervi intercostalis in pectore, abdomine crassitiem, magnitudinem: considerant ramulorum a vertebralibus oriundorum numerum, ac inde tanquam ex pluralitate votorum,



pro origine ex medulla spinali perorant : verum similiter apud Malpighium (\*) in semine Cataputiæ plantulæ ampla folia, pluribus ligneis fibris ramificata contra radicem suam perorare possent.

(\*) In operibus posthumis Venetiis 1743. in fol. p. 65. Tab. 4. fig. 1. 2. 3. 4. 5.

### §. LXX.

Certant deinde experimentis, & Pathologicis, & Anatomicis : ad Pathologica pertinet Apoplexia : in hac cessat actio animalis sensus, & motus, manente actione vitali, pulsu, & respiratione, adeoque actio intercostalis, licet nullis subsidiis ex encephalo a quinto, & sexto pari suffulciatur, integra est, nec tali scaturigine indiget.

### §. LXXI.

Ast hanc difficultatem adversarii sibi ipsismet solvere tenentur : idem enim fatum, quod in hoc morbo gravissimo premit nervos capitis, premit etiam nervos vertebrales, ut adeo neque inde ad intercostalem accedere possint suppetiæ, supponitur enim sensus & motus voluntarius ubique plenarie abesse : unde licet spinalis medulla alterum putetur cerebrum, ejus actio similiter deletur : nec ad cerebellum licet confugere, cui soli originem motuum vitalium adscribi non posse ex novellis literariis, & Senaco sapientissime conclusit Illustrissimus noster, Præses Baro van Swieten in commentariis ad Boerhaave Tom. 3. §. 1010. ad finem. An forte dum natura in reliquis actionibus agit ferias, reliquias spirituum impendit vitalibus? an non omnis ex integro ab encephalo effluxus denegatur? an forte ganglia intercostalis nervi ad actionem subsidiariam tenentur, ut, quod caput præstare nequit, ipsa ad tempus suppleant?

### §. LXXII.



## §. LXXII.

Gravioris multo momenti videntur esse experimenta Anatomica, quæ Petitus (o) Namurci, & Parisiis fecit: nos juvat duo hic producere. Primum est, quod ligato canis nervo intercostali in collo, ejusdem viderit oculum defixum, afflictum, lachrymantem, lippum, membranam semilunarem Morgagni ultra solitum terminum corneam occupare, organum visus sensim caligine obduci, pupillam dilatari, tandem plane, ut sit in gutta serena immobilem reddi, relaxato vero vinculo, novum oculo rediisse fulgorem, quod ipsum postea in aliis quadrupedibus tentavit, & eosdem constanter vidit effectus.

(o) Apud Haller. disp. Anat. Vol. 2. in disp. a Bergen citatus p. 900. §. 60.

## §. LXXIII.

Secundum ejus experimentum est: discidit binis canibus vivis truncos nervorum intercostalis, & vagi paris in utroque colli latere, circiter e regione tertiæ, & quartæ vertebræ, alter septem ab hinc horis, alter septimo demum die perit. Et alius canis vivi nervos eosdem in colli dextro latere primum, dein post quadrantem horæ pariter in sinistro latere dissecuit, canis expiravit quarta demum die. Veritatem experimenti hujus negavit Illustris a Bergen (p) his verbis: quando (Petitus) scribit, se canem vivum, paribus octavis, & intercostalibus in collo abscissis, in septimum usque diem superstitem servasse, fallit alios, & fallitur ipse quam maxime, quoniam utrisque abscissis motus cordis brevissime cessare, & canem mori debere quisque perspicit; nos vero cum Mauchart (q) hic judicium nostrum suspendimus, & solum difficultates, quæ in theses nostras redundant respicimus.

(p) Ibid. p. 901. (q) Hall. disp. Anat. vol. 4. p. 121. in citatione ad litteram ff.

## §. LXXIV.

## §. LXXIV.

Ex hisce duobus experimentis credunt Fautores sententiæ §. 67. jam triumphum canere, atque ex primo experimento irrefragabiliter conclusisse avent, quod liquidum ex sexto, & quinto pari non in intercostalem descendat, sed potius ascendat. Deinde per experimentum secundum se similiter evicisse putant, quod intercostalis originem ab encephalo non sortiatur; quia destructa omni cerebri communicatione animal nihilominus actiones vitales exercuit: Sed prophanter nimis conclusionem factam fuisse inferius §. 82. 84. explanabitur.

## §. LXXV.

Jam ad partis alterius patronos §. 68. convertimur: hi vident ramulum profundum Vidiani, & sexti paris in nervulo, qui in ganglion cervicale primum absorbetur, coire §. 64. fibris continuatis ceu unus nervus, sine ulla indigitatione, penetratione fibrarum, quas a Bergen (r) solus sibi imaginabatur; ab hisce ergo duobus ramulis immediate cum encephalo communicantibus, propterea principalioribus, intercostalem deducunt. Admittunt quidem hujus cum vertebralibus communionem, sed ex his oriri negant, sicut par vagum, etsi cum intercostali communicet (s) non ab eo, sed ab encephalo nasci dicitur.

(r) L. C. p. 395. putavit microscopio observari posse fibrarum penetrationem; sed hanc nemo aliorum videre poterat; quid non potest favor sibi imaginari? (s) Winsl. Trait. de nerf. p. 238. n. 120. p. 240. n. 125. p. 241. n. 129. p. 245. n. 140. 141. 142.

## §. LXXVI.

Confirmari putant suam opinionem, ex ipsa gemellorum furculorum in nervulum intercostalis, ad angulum internum acutum



tum infertione §. 65. contraria nempe infertionibus obtufangu-  
lis communicantibus cum nervis vertebralibus (t), primos vo-  
lunt effe progrados, posteriores retrogrados, ab illis fluidum ner-  
vorum ab encephalo in intercoftalem invehi, ab his abvehi con-  
tendunt: an vero res femper fic fe habeat, paulo poft §. 83.  
explicabitur.

(t) Vid. Alb. explic. Tab. Euf. Tab. 18. Fig. 2. Lit.  $\phi \phi \phi$  p. 67.

### §. LXXVII.

Adverfarii concedunt obtufangulam ad internum latus in-  
fertionem effe retrogradam; fed affumptam propofitionem in  
fuum vertunt commodum, & negant, quod ramulus a fexto pa-  
ri conftituat cum ramulo intercoftalis angulum internum acutum,  
fed potius obtufum: adeoque nil obtinet privilegii, cur is po-  
tius origo, quam ramuli vertebrales vocentur! obftat tamen ad-  
verfariorum defiderio, quod vertebralium anguli adhuc multo  
effent obtufiores: interim errare adverfarios jam fuperius §. 65.  
diximus, quippe ramulus a fexto pari ad ejus originem femper  
acutum format angulum, mox vero per modum curvæ fuper  
carotidem, cui per cellulofam adnectitur, reflectitur, & fpe-  
ciem anguli retrogradi mentitur, qui tamen in fe non eft.

### §. LXXVIII.

Opponit Illuftris a Bergen (u) faltem furculum fexti paris  
non effe originem nervi intercoftalis; fed hic ultimus dici de-  
bet origo prioris: etenim docuit obfervatio, quod par fextum  
nervo intercoftali nondum emiffio longe gracilius fit, ipfo prius  
emiffio, quo phænomeno nil evidentius, quam intercoftalem in-  
gredi, non egredi a fexto pari: fiquidem contra naturam eft,





statuere velle, truncum multis ramis ex se emissis, & novis non acceptis incrassescere.

(u) Apud Hall. disp. Anat. V. 2. p. 894. §. 31.

### §. LXXIX.

Fateor argumentum speciosum esse, sed ad meam non pertinet disputationem, nam de solo quinto pari, non de sexto Inscríbítur : sed mei loco respondit jam olim Walterus (w) Anatomicus etiam post fata illustris ; non esse constantem observationem, qua multo tumidiorem esse sextum nervum contenditur, postquam intercostalis ad istum, ut volunt, accessit, etiam si clarissimus Winslowus huic observationi favere videatur.

(w) Ibid. p. 914. ad initium.

### §. LXXX.

Respondet secundo laudatissimus Meckelius (x), quod plerumque nullius momenti crassities illa paris sexti sit : si aliqua tamen, debetur sanguinis balneo, quod nervus ille in sinu cavernoso subiit : secus etiam furculus profundi Vidiani ex identitate rationis incrassari debuisset, etsi in sanguine non balneet, uterque enim intercostali adhæret : sed profundum incrassari hactenus nemo observavit.

(x) Lit. C. p. 60. §. 67.

### §. LXXXI.

Urgent adversarii, in canali carotico arteria ascendit, igitur & per intercostalem non fit descensus, sed ascensus : Contrarius enim fluidorum motus in canalibus vicinis, flexibilibus, unus  
al-

alterum impediret ; sed paritates plures argumenti vim enervant : in collo nervus octavi paris penes carotidem , in aquæ ductu Fallopii nervus durus , ad arteriam stylomastoideam , & cordis nervi inter vasa majora contraria directione descendunt : neque in carotico canali metuenda est compressio nervi , quem abunde cellulosa defendit.

### §. LXXXII.

Haftenus utriusque controversæ sententiæ argumenta vidimus ! an felici connubio saltem aliquando conciliari poterint ? dies docebit , ego non despero : Petiti experimentum secundum §. 73. si verum est , profecto evinceret , quod sine auxilio sexti & quinti paris nervus intercostalis aliquantum suo officio functus sit , unde ergo mutuam sibi vim commodavit.

### §. LXXXIII.

Neque obstant anguli retrogradi , quibus intercostalis cum vertebralibus communicat §. 76 , nam quamvis in cadaveribus tales inveniantur , an morbi , animi passiones , diversæ corporis vivi actiones , angulos obtusos in acutos , & vicissim quandoque immutare non audent ? quas artuum contorsiones efficit homo , dum laborat , hystrio dum in ludo saltat , musicus dum psallit , cordas vibrat : unde fatalis illa necessitas , cur vasa mobilia , connexa per cellulosam mobilem , decurrentia per musculos , & membranas mobiles , constituta in artubus mobilibus , non ex angulis suis quandoque moveantur , & ex obtusis in acutos , ex acutis in obtusos , & lineas rectas dirigantur.



## §. LXXXIV.

Illud vero, quod Petitus in suo primo experimento §. 72. ex ligatura nervi intercostalis se demonstrasse credit, non æque convincit : adfert enim phænomena guttæ serenæ ; sed an forte ex concomitantibus (y) vasculis aliquod funiculo strinxit, quod tamen in tantum Anatomicum vix cadere puto. An potius crudeli experimento totum Systema nervorum turbavit, & soluta ligatura rursus ad malaciam composuit ? an quid novi ? si torturæ judiciali subjecti oculos torquant, lachrymentur, & si diutius torquantur, etiam quandoque moriantur : Vienna nostra die 17. Martii 1440. furis de patibulo ad anatomen deportatum cadaver opera suorum Medicorum revixisse vidit (z).

(y) Winsl. L. C. Traite de nerfs n. 119. p. 238. errore typographi, deberet esse 242. sic ait : dans tout ce trajet (agit de pari vago circa primum ganglion) le tronc est comme enfermé avec l'artere carotide interne, la veine jugulaire interne, & le grand nerf symphathique, dans une espece de gaine cellulaire. (z) Joan. Jacob. Freund de Weyenberg in Syllogis Illustrium in arte med. Virorum p. 17.

## §. LXXXV.

Antequam nostram sententiam proferamus, distinguimus inter originem nervi principalem, & minus principalem : primam credimus ad actionem nervi ita necessariam, ut absque hac origine actio perennare nequeat : sed vel subito, vel paulo post ex integro cesset : res patet in exemplo : medulla vertebralis absque controversia a capite oritur : hac ligata, in homine subito partium infra ligaturam actio perit, in anguilla, serpente, & aliis aliquamdiu perdurat, sed perennare nequit ; altera, seu minus principalis illa origo appellari potest, cujus fons quidem actionem nervi adjuvat, attamen etiam absque ejus adjutorio actio nervi perennare potest : ita licet unus, alterve ramorum interco-

sta.



stium cum vertebralibus communicantium, per compressionem, suppurationem, ulcera destruat, animal tamen adhuc vivere, & quandoque sanari potest (a)


- (a) Guilielmus Fabric. Hildonus in operibus observ. & curat. medico-chirurg. Francof. ad Maenum 1646. p. 461. centuria 5. Observ. 69. Adfert. exemplum juvenis viri sanati, cui cultro vulnus circa quartam vertebram lumborum tam fortiter inflictum fuit, ut acies cultri fracta inter appendices spinæ remanserit.

### §. LXXXVI.

Hisce positis dicimus, quod prima & principalis nervi intercostalis origo, hactenus non alia melius assignari possit, quam ab encephalo ex furculo sexti paris, & ramulo profundo, rami secundi quinti paris; e contra origo secundaria, & minus principalis, aliis etiam nervosis furculis, qui cum intercostali a vertebralibus, a pari vago, & fors aliis intimam communionem alunt, in acceptis ferenda est. Videor itaque mihi non admodum errasse, si nervum intercostalem plantis quibusdam repentinis parasiticis comparavero, quibus inter cætera discrimina hoc etiam est proprium, quod parasiticæ alienos succos in semetipsas convertant: secus nervus intercostalis, liberalis nimis, non tantum adventitios, sed & proprios succos, quos forte in gangliis conficit, in vicinas sibi partes dispensat.

### §. LXXXVII.

Jam tela ad propositum finem perducta est, optassem totum nervum quinti paris, quamvis intricatissimum, nec non intercostalem ipsum, cum observatis omnibus, quæ ab optimo Præceptore hausi, profequi; sed longus nimis fuisset, & fata volunt, ut disceptationibus Anatomicis imponam finem.



SEQUITUR


EXPLICATIO TABULÆ.

Tabula hæc designat calvariam fœminæ, quadraginta annos habentis dimidiate abscissam, & a sinistra versus dextram partem oblique sitam.

- A. Denotat truncum quinti paris, ab origine abscissum, & stylo incumbentem.
- B. C. Ganglium semilunare, seu ab Inventore interioris ejus fabricæ, Gasserianum imposterum dicendum, ejusque circumferentiam.
- D. Ramum primum, e ganglio provenientem, orbitalem dictum.
- E. Secundum ramum, maxillarem superiorem.
- F. Tertium, maxillarem inferiorem.
- G. G. Nervos opticos, ab origine sua abscissos.
- H. Foramen occipitale, oblique situm.
- J. Stylum ferreum, cui truncus quinti paris incumbit.
- K. Os petrosum, lineis punctatis denotatum.
- L. L. Foveas duas anteriores pro locandis cerebri lobis anterioribus.
- M. M. Foveas medias.
- N. N. Posteriores, tum pro cerebri lobis posterioribus, tum pro cerebello locando destinatas.







A: Cipp. M: St. del.  
et sculp: V: 1765.





UB WIEN



+AM454171904





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)